

portat verbum internum mentis: certe ab intuitiva infinitæ  
essentiæ divinæ visione toto, quod ajunt, cœlo differt,

LIX. Quamobrem nec istud nobis obstat, quod Keithus  
addit; *Et inde est, quod inter Theologiam discursivam ex una parte,  
& mysticam sive contemplativam ex altera distinguant, illam vero per  
verba & verbales discursus, syllogismos, propositiones, præmissas &  
conclusiones inde deductas haberi: hanc autem nudæ & simplici men-  
tis purificatæ & ab imaginibus cunctis verborum aut rerum externa-  
rum quarumcunque denudatæ, perceptione & intuitione obtineri.* No-  
vimus quidem, Theologiam istam mysticam, quam secula pri-  
ma ignorarunt, non parum habere quisquiliarum: interim,  
quantum ad præsens attinet, certum est, non sic opponi posse  
Theologiam veri nominis mysticam, atque in hac vita impe-  
trabilem, Theologiæ discursivæ, ut omnem abstractivam cog-  
nitionem excludat, atque ipsam intuitivam essentiæ divinæ  
infinitæ cognitionem aut comprehensionem importat. Fac,  
excludi *verbales discursus ac syllogismos*, quales Scholæ formant;  
tamen quemadmodum alias haud raro fit, ut intellectus per  
species, ex prævia demonstratione in ipso relictas, assensum  
conclusionis eliciat, absque repetita & actu adhibita demon-  
stratione: in ejusque & rei verbis significatæ contemplatione  
hæreat; quam tamen contemplationem ad genus abstractivæ  
& discursivæ cognitionis pertinere, negari non potest. Sic in  
negotio fidei & cognitionis supernaturalis fieri potest, ut in-  
tellectus virtute supernaturali, quam semel a Spiritu Sancto,  
cum verbis Scripturæ concurrente & assensum fidei producen-  
te accepit, porro in meditatione rerum tam sublimium ac bo-  
narum & optabilium perseveret, & quamvis non sine discursu,  
tamen non reflectens animum ad discursus suos, sic versetur  
circa objecta spiritualia, ac si ea citra discursum præsentia  
amplecteretur ac teneret. Nam & alias docent Nostrates, vim  
divinam movendi & in consensum trahendi hominum animos  
non solum esse conjunctam cum sensu per verba Scripturæ  
immediate significato; verum etiam cum his, quæ implicite,  
virtu-